



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

Ad Lectorem De Scopo Et methodo huius Tractatus, Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

AD LECTO-

REM DE SCOPO ET

methodo huius Tra-

ctatus,

PRAEFATIO.

A *Mise lector, Inscriptio hu-*
ius opusculi frontispicio af-
fixa, ad oculi ictum primo intuitu
materiae amplitudinem, & digni-
tatem commoñstrat. Non omit-
tam tamen communem scripto-
rum morem secutus, principalio-
ra quadam excerpere, ut in ipso
operis introitu, clariorem tibi co-
gnitionis facem accendam. Ac
ne multis, Primò quidem genera-
liter ago de Ecclesia, & paucis do-
ceo originis eius antiquitatem,
authoris sapientiam, membrorũ
& maximè capitis dignitatem:
Iterum excellentiam formæ, Pro-
prietatum, & finis eius demon-
stro.

AD LECTOREM.

Secundò, per partes & minutatim tracto sacra mysteria, qua diuinus ille Ecclesia huius Author in ea instituit; gratias, Virtutes, & alia dona supernaturalia, qua illic distribuit; Sacram Doctrinam, Leges, & Consilia, qua ibi donauit, Prælatos, ac pastores quos ibi stabilinuit. Tertiò propono constitutiones, quas ille ipse Author hic fecit, & quotidie per Prælatos Ecclesia tanquam suos Vicarios facit. Constitutiones inquam, ceremonias Sacramentorum & sacrificij Missæ concernentes; Item consecrationem Altarium, Templorum, ac calicum; Benedictionē panis, aquæ, candelorū, Agnus Dei, aliarumque rerum sacramentalium; Institutionem quoque festorum, officiorum diuinorum, cæterarumque actionum ad Dei cultum

PRAEFATIO

cultum & seruitium pertinenti-
um. Quibus omnibus auctuarij
loco eiusdē Ecclesiae propagationē,
& accrementum breuiter subue-
cto, ut clarē videatur & cognos-
catur indubitātō, & certissimē
hanc esse veram illam & unicā
domum ac familiam Iesu Chri-
sti, extra quam nulla sit salus.
Materia sanē diues, fertilis, &
dignissima, quae ornatē perore-
tur, ac ampliter discutiatur. Ego
tamen id ipsum aggredi volenti-
bus intactum reliqui, sufficere
mihi existimans, s. singula praefa-
torum breuiter proposuero, &
probatorum authoritatibus, &
solidis quibusdam rationibus eui-
cero: Bona nonnulla, & commoda
spiritualia, quae ex istis nascun-
tur representans, & finaliter
commonstrans aliquos modos,
quibus ea acquiri possunt, & ac-
quisita

AD • LECTOREM.

quisita custodiri. Si tamen subinde non nihil exspatier, desiderium inflammandi Lectorem ad bona illa spiritualia consequenda, me eo abripuit: Auebam etiam apertius Iesu Christi Redemptoris nostri illimitatam potestatem exponere, ut eam reuerēamur; diuinam sapientiam ut admiremur, incomparabilem bonitatem, ut eam amemus & excusulemur.

Vides hic lector rudiores nostra tabula lineas, vides quo desiderium meum feratur, & ut absque ambagibus dicam, volui breuem & piam notitiam Beneficij Redemptionis nostrae, & ad Christum Vocationis ingerere. Idque ideo, primò, quod videam huius defectus plurimos Christianos siue animi quadam innata leuitate siue falsis quibusdam hereticorum sui temporis persuasionibus delusos,

fos,

PRÆFATIO

sos, vsque adeo in fide nutare, ut
 summi huius beneficij utilitatem
 & fructum in dubium reuocent:
 Secundo, quod plurimi ex illis,
 qui hoc dubio non laborant, tam
 leuiter illi beneficio afficiantur,
 ut ingrati permaneant, & tan-
 de illud suo maximo malo amit-
 tant: Tertio, quod autumem ex
 intimo cordis affectu prouenien-
 tem notitiam Christianæ Voca-
 tionis, præambulam esse oportere,
 ac ad modum Introductionis, le-
 ctioni quorumlibet piorum libel-
 lorum in seruire debere, cum dif-
 ficile admodum sit, cum aliquo
 gustu ea quæ perfectionis sunt in-
 telligere, nisi quis benè fundatus
 & affectus fuerit in primis qua-
 si elementis, & mysterijs nostræ
 Redemptionis.

Habes itaque Christiane Le-
 ctor Opusculi nostri obiectum
 & me-

AD. LECTOREM.

& methodum, causasq; quae me,
ut arrepto calamo hac scriberē,
impulerunt. Restat, ut si quid in-
ueneris quod prosit, benignè acci-
pias, eoque benè utaris ad maio-
rem gloriam & honorem Iesu
Christi communis nostri Domini
& Redemptoris, cui totum hoc
meliore quo possum animo Do-
Dico, Consecro; Humillimè inte-
rim ei supplicans, ut sereno vul-
tu illud suscipiat, mihi que eam
gratiam retribuatur, qua adiutus,
quae alios doceo ipsemet faciam,
scilicet, ut illi ex toto corde meo,
& tota anima me a serui-
am, eumque amem.

Vale.

APPRO;